

Incipit prologus huius libri.

Aristoteles patrem Nicomachum medicine artis peritissimum: qui a Pachaone Esculapij filio originem traxit: Obestriademque matrem non obscuri generis habuit: et flagyrites fuit: grecorum scientissimus: cuius disciplina Alexander magnus multis preclare rebus gestis floruit: felix enim: qui preceptorem omni doctrina: maxime vtraque philosophia adeo cumulatissimus habuit: ut tot eius in omni se re scientia volumina edita: citra cuiusvis verani reprehensiones Quærois: et alij tam greci quam latini commentatores: ac eruditissimi scriptores esse testent. Calpurnio vero obiit septuagesimo octavo sue anno. Quem nisi satis quam plurimi: precipue duo nostre fidei propugnacula: Augustinus. viij. de ciuitate dei: et Barbatus Hieronymus Palmata in epistolis laudarent: de ipsius splendore aliquid diceretur: qui inter mortales grande quoddam miraculum effulsit. Nam ei pene videtur fuisse insulum quicquid naturaliter capax est genus hominum: adeo ut omnes literarum cupidus eius mirificam doctrinam veluti a fonte perpetuo exhanriatur: maxime prepatetici quorum et auctor et princeps fuit. Quibus dicta speciosissima: breuissimamque excerpta per ordinem: et multorum aliorum antiquorum: quod fertes libelli indicabitur habebuntur quam castigatissima: que singula non modo Aristotelicis: plurimo adiumento et maximo honori: sed legum et canonum amatoribus: et quibusvis literarum studiosis sunt futura.

Incipiunt propositiones vniuersales Aristotelis: et primo primi libri metaphisice.

Omnes homines natura scire desiderant.
 Sensus: visus: multarum rerum nobis differentias demonstrat.
 Dominum genus arte et rationibus viuunt.
 Experientia artem facit. Inexperientia vero casum.
 Ex multis impedimentis generatur ars.
 Experientia est cognitio singularium. Ars vero vniuersalium.
 Actus et omnes operationes sunt circa finem: quia medicus non sanat hominem in communi: sed socratem vel alium hominem in particulari: et sic de alijs.
 Artifer sapientior experto est: et architecto manuali artifice: quia causas subiectorum scit.
 Signum scientis est posse docere.
 Conueniens est quilibet artem inuenientem ultra omnes seipsum ab omnibus admirari: non solum propter aliquam inuentorum utilitatem: sed tanquam sapientem et ab alijs differentem.
 Scientes quorum scientie ad usum non sunt: sunt sapientiores et nobiliores illis: quorum scientie ad usum sunt.
 Sapientia est scientia primarum et altissimarum causarum.
 Ad sapientem pertinet scire omnia in vniuersali: et scire difficilia et habere scientias certiores alijs: et scire reddere causas earum que sunt: et habere scientias que sui ipsius sit tantum et non alterius est causa: et habere scientiam que ordinat alias sibi subseruientes.
 Sapientem ordinare et non ordinari oportet id est regere et non regi.
 Hi soli docent: qui causas de singulis dicunt.
 Que maxima sunt vniuersalia difficilia sunt hominibus ad cognoscendum: quia a sensu sunt remotissima.

LANDES-
LIND STADT-
BIBLIOTHEK
DUISSELDORF